



VIII. 73.

hat. 2, 777.

VII

VIII, f. 3. A.

4477

D E  
RELIGIONIS CHRISTIANAE  
INITIIS  
PER  
LVSATIAM SVPERIOREM  
DISQVISITIO HISTORICA

---

M A N I L I V S

*Per partes ducenda fides, & singula rerum  
Sunt gradibus tradenda suis; ut cum omnia certa  
Notitia steterint, proprios revocentur ad usus.*



t. a)

---

DRESDAE

EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI  
CLO IOCC LIX.

D 11

RELIGIONIS CHRISTIANAE  
INITIIS  
TERRA  
LAVATIA SUPERIORUM  
DUCISITIO HISTORICU



---

DRESDVÆ  
EX LIBRIS MONASTERICI  
CONVENTUS SANCTI GALLI

V I R O  
PLVRIMVM REVERENDO  
IOANNI IACOBAEI  
A. M.  
PASTORIS APVD BVDISSIONENSES SECUND  
AD AEDEM D. PETRI  
MVNERI NVPERRIME PRAEFECTO  
AFFINI SVO OPTIMO  
S. P. D.

CHRISTIAN. GOTTLIEB KRETZSCHMAR

*Scande Budissini fulgentia limina templi,  
Te Deus, & Proceres, grex quoque rite vocant.  
Hic puris operare sacris, hic verba diserta  
Perge mouens animos, ore potente loqui.  
Te Deus auxilio iuuat, & quam feceris illuc,  
Sementim fructus deſtituisse nequit.  
Leucoridis doctae longe diſiungimur oris,  
Sed prope ſum plauſu laetitiaque tibi.*

A ij

Nimi-

Nimirum mentes affinia vincula nostras

Funxere, & nodis implicuere suis.

Formasti pectus prium mihi, teque magistro

Contigit has artes addidicisse bonas.

Fructus erit paruum, quod nostro quippe labore

Ornatunque tuo nomine prodit opus.

At tu maiori, veterum monumenta reueluens

Admoueas operi dexteritate manum.

Orna, collustra, patriam cole, tempora longa

Doctrina, meritis, & pietate nouam.



SERI-

S E R I E S  
D I S S E R T A T I O N I S

- §. I. *Inopia documentorum in antiquitatibus Lusatiae superioris. De potioribus scriptoribus, e quibus illa apparet.*
- §. II. *Causae errandi priorum auctorum. Confusio nominum. Quibus verior notitia debeatur.*
- §. III. *Verum incolarum nomen olim Milceni, caput Budifina. Fuere sub Bohemis. Ab Henrico Aucupe domiti, Christianis sacris iam addicti fuerunt. Argumenta ex Adamo Bremenſi, Helmoldo, Vitechindo. Census Milcienorum, seu tributum ex Ditmaro.*
- §. IV. *Discrimen inter tributarios & in ciuitatem Germanam receptos. Argumentum ab exemplo subreguli Bohemici tributarii, cui religionis cauſa Otto M. auxilium tulit. Aliud exemplum tributarii Miseconis ab imperatore defensi.*
- §. V. *Milceni quoque tributarii facti sub Henrico Aucupe. Eorum varia sub Bohemis & Polonis fata.*
- §. VI. *Argumenta ex situ regionis pro vetustate religionis Christianae ab illis susceptae. Idem ex silentio Ditmari de illorum mutatione sacrorum conficitur.*
- §. VII. *An a praefulibus Misnensibus ad Christianorum sacra adducti? Negatur. Ex diplomate de vindicandis sedis episcopi Pragensis finibus ab Henrico IV. dato, Bohemici iuris quae fuerint. Misniae episcopatus senior Milcienorum fide Christo data.*

A iiij

§. VIII.



§. VIII. Sub Ludovico Pio sacra Christiana in Bohemiam non inuecta. Duces XIV. ad imperatorem perfugisse, & in Germania iis initiatos esse, ex Annalibus Fuldenibus & Christanno probatur.

§. IX. Amplitudo antiquissimorum finium Bohemiae, intra quos & Milscā comprehensa. Dragomira, vxor Vratislai probat Christianos usque ad Stoderanorum seu Luticiorum confinia coluisse. Argumentum a silentio scriptorum de Milcienis, ubi magnam Slauorum inter Albim & Oderam sacrorum emendationem narrant. Nullae donationes Germaniae praeſulibus in hac regione ante Henricum IV. factae. Sub hoc imperatore & iam sub patre eius, ingens rerum Milscæ conuersio eiusque a Bohemia auulſo. Sub Bohemis & cum Bohemis Milceni ad veram religionem adducti a Methodio.

§. X. Argumentum pro hac sententia ex pontificis cautione usus impediendi linguae Slauonicae in Bohemia, qua Methodius primum usus erat. Hinc Stranskio contra Balbinum assensum, varias purioris cultus per Graecos instituti mansisse reliquias. De Methodio Scriptores. Conclusio & votum.



DE



DE  
RELIGIONIS CHRISTIANAE  
INITIIS  
PER  
LVSATIAM SVPERIOREM

§. I.

Iustissima est querela viri eruditissimi, qui  
Friderici MATHAE nomen adscivit,<sup>(a)</sup>  
Hussitarum malo furore tot vetustatis  
documenta per Lusatiam perdita fuisse.  
Quod si de inferiore Lusatia recte statuitur, cuius ta-  
men multa monumenta in tabulariis vicinis per Saxoniam,  
terras Brandenburgicas & Anhaltinas seruata sunt,  
vnde

<sup>(a)</sup> in tract. qui inscribitur: Lubena olim magna, p. 70.

vnde superiorum temporum memoria vtcunque instaurari potest: longe magis locum habet de superiore Lusatia, quam hodie vocamus. Ea enim, antequam Saxonie coniungeretur, perpetuis crudelium illorum populatorum excursionibus facuissimisque direptionibus exposita, pleraque amisit, e quibus antiquitates eius cognosci potuissent. Inde fit, vt magna in historia eius sit obscuritas, quia nimirum diplomata vetera non exstant, e quibus alias fines, loca, rerumque conuersiones optime explicari solent. Hinc tot errores in descripione eius passim occurrunt, a quibus florentissimi saepe scriptores sibi parum cauerunt. Ingens est Manili diligentia; sed quia saepius Cranzio, Auentino, Carrione, Peucero & Fabricio contentus est, vbi longe grauior auctoritas requirebatur, fieri non potuit, quin in plurimis deciperetur. Magni Schurzfleischii conatus praecedentes omnes vicit accuratione & sollertia: verum & ipse recentioribus interdum nimis confisus videtur. Carpzouio aequorum arbitrorum iudicio palma iure tribuitur: sed ex opere limatissimo illa ipsa documentorum antiquorum inopia appareat. Quod vero maxime dolendum est, nullae supersunt litterae fundationum per has regiones, diplomatibus Ottoniano & Joannis XIII. pontificis antiquiores; & haec ipsa suspicionibus merito sunt obnoxia, vt infra ostendam.

Hinc,

Hinc, vt in rebus dubiis & obscuris, errores infiniti, in quos summi etiam viri inducti fuerunt.

§. II.

Operae autem pretium videtur, illas errorum causas antea indagare, quam veriora quaedam eruere licet. Illarum haud postrema est confusio ex abusione nominis. Multi enim Luticos, Marchiae Brandenburgicae & vicinarum regionum incolas eosdem crediderunt, quos Luficos & Lufatos, hosque perperam pro antiquissimis Marchiae Budissinensis & Gorlicensis cultoribus habuerunt. Ignorarunt enim in cultoris demum aeui vsu additam his Marchiis Lusatiae superioris appellationem. Inde dici non potest, quam incommodae narrationes enatae sint. Id ipsum Leuberum aliosque fefellit, qui nulli domino intermedio, sed Saxonum ditioni antiquitus, inde ab Henrici Aucupis temporibus, habitatores tractus hexapolitani paruisse sibi temere persuaferunt. Hodie sane omnia alia liquent, ex quo non Balbini tantum industriae certiora debemus, cuius monitis exactissimi quilibet historici, vt Glafeius praesertim & Hornius, historiographus patriae celebratissimus aures praebuere; sed Schoettgenius quoque digerendo veteres pagos, plurimum lucis accedit, cuius beati viri, praeceptoris olim nostri me-

B mo-

moriā & hoc loco grata recolimus mente, & fidae,  
qua vſi ſumus, institutionis beneficium magnopere  
praedicamus.

### §. III.

Milcienorum & Budiffino pago totam terram ſuiffe comprehensam, quae hodie Lufatia superior vocatur, argumenta a SCHOETTGENIO <sup>(b)</sup> prolata clarifime euincunt. Cui primum principi paruerint, diſerte nemo prodidit. Nec ipsum gentis nomen ante Henricum Aucupem occurrit. Sed fata illorum ex eo quidem tempore ad A. C. vsque C<sup>l</sup>LXIX. fatis indicant, in Bohemorum societate ipsos ſuiffe, antequam Henrico ſubicerentur. Vno enim proelio vna cum Bohemis & reliquis Slavis ab eo victos ſuiffe, auctores ſunt ADAMVS BREMENSIS <sup>(c)</sup> & HELMOLDVS, quibus in harum gentium notitia primae partes debentur. Quod vero illi addunt, de disciplina Christiana, a ceteris, qui nondum subacti, perpauci remanserint, Deo vltro promissa, luculenter probat, omnes, qui cum Bohemis victi erant, & in his Milcienos, iam ſuiffe Christianos, ſicut ipsos Bohemos. Equidem non ignoro, eſſe, qui quaſi diuersas totidem victorias de Bohe-

<sup>(b)</sup> in der diplomat. Nachleſe d. Historie v. Ober-Sachsen, P. III. p. 432. & 438.

<sup>(c)</sup> Hist. Eccles. L. I. c. XLVIII. p. 38. edit. Maderi.

<sup>(d)</sup> Chron. Slav. L. I. c. VIII. §. 4. p. 24. ed. Bangerti.

mis & Milcienis & Daleminciis narrent seiungantque:  
 sed implicarunt se hisce difficultatibus, quod Heuello-  
 rum, Redariorum & Veranorum res miscuerunt cum  
 bello Bohemico. Accedit ad confirmandam Adami  
 & Helmoldi, paullo ante laudatorum, fidem de vno  
 grandi proelio, in quo & Milceni victi sunt, VITE-  
 CHINDI CORBEIENSIS <sup>(e)</sup> diserta commemoratio,  
 Dalemicios & Bohemos vnica illa expeditione, in qua  
 Grona expugnata, & Pragae deditio secuta, factos esse  
 tributarios; & tam vetustus scriptor, quum Milcienos  
 tacet, egregio argumento est, comprehensos eos fuisse  
<sup>sub</sup> Bohemis, ac proinde a DITMARO <sup>(f)</sup> narrata de censu  
 Milcienorum non aliter esse accipienda, quam vt appell-  
 latio tributi Bohemici, seu, quod idem erit, Milceni-  
 ci, ab illa prouincia facta sit, ex qua id redigendum &  
 ad Misnense praefidium conferendum esset.

#### §. IV.

Ratio autem tributo in Germania subiectorum antequora per tempora, multis parum cognita fuit, qui quidem sibi persuaserunt, in ciuitatem continuo rece-  
 ptos esse, qui sic subacti fuerint. Longe vero aliud  
 docent res Saxonum. Hos dudum Franci sub Carolo

B ii

Mar-

(e) L. I. pag. 16. edit. Heruag. ap. 1532. in fol.

(f) L. I. p. 9. ed. Maderi.

Martello ad ditionem & tributum pendendum A. C. ICCCXXXVIII. circiter adegerant.<sup>(g)</sup> Nemo tamen tunc illos ciuitate Francica fuisse donatos dixerit; cum satis constat, sub Carolo demum Magno A. C. ICCCCIII. in comitiis Salzenfibus exaequatos iure & libertate cum victoribus fuisse, ut EGINHARDVS,<sup>(h)</sup> VITECHINDVS,<sup>(i)</sup> & POETA SAXO ad hunc annum idoneis testimoniiis comprobant. Et longe clarius conditionem tributariorum verbis designarunt VITECHINDVS<sup>(k)</sup> & DITMARVS. Ille subregulum memorat, quem Boleslaus Bohemus sit aggressus, quod Saxonum paruerit imperiis, cuique oppresso Otto M. suppetias iuerit. Erat ergo tributarius seu vectigalis, nec adscriptus ciuitati Germaniae, quae subregulos ignorat; sed ratione Boleslai eum ita vocari, satis appetet. Impetraverat tamen auxilia Germanorum: vnde perspicitur, in clientela & societate armorum, nondum in *ισονομia*, censos fuisse tributarios. Nec sine veri specie Dobromirum, ducem Lucensem, hunc fuisse, Hagecius, Balbinus, & Hahnius statuunt. Sed non leue rursus  
inde

(g) conf. Annales Metens. Nazar. Petav. ad b. a. Lamb. Schafnab. ad a. 739. Sigeb. Gemblac. ad a. 740. Chron. Hildesh. Herman. Contract. & Marian. Scotus ad a. 737.

(h) in vita Caroli M. c. VII. pag. 48. edit. Schminckii.

(i) L. I.

(k) L. II. p. m. 21.

inde argumentum, omnes illos e Slavis in Bohemia & confiniis eius tributarios, diu iam ante populorum inter Albim & Oderam animi sanitatem, Christianorum sacris fuisse addictos. Nam religionem vel praecipuam ferendi auxilii caussam fuisse, ex ipso Vitechindo aliisque discimus. Confirmat nostram sententiam DITMARVS duobus locis, <sup>(1)</sup> vbi Miseconem a Gerone imperiali subditum ditioni narrat, eundemque paullo post imperatori fidelem, tributumque usque Wurta, id est Warta, fluuium soluentem ab Vdone Marchione armis petitum scribit. Re ad imperatorem delata, usque ad eius redditum ex Italia, Miseconi succursum fuit interdicto; quod satis indicat, imperiali defensione huius generis regulos esse gauifos.

## §. V.

Haec nobis profutura credimus, ut Milcienorum quoque conditio, qua in potestatem Henrici Aucupis venerunt, noscatur. Subacti tributum soluerunt; ciues vero Germaniae facti non sunt, sed relicti sub dominatu Bohemorum, qui & ipsi diu tributarii solum manserunt. <sup>(m)</sup> Posset hoc uberiorius explicari e bellis

B iii

Hen-

<sup>(1)</sup> L. II. pag. 25. & 35. ed. Mader.

<sup>(m)</sup> vid. Helmold. Chron. Slav. L. I. c. I. §. 10. p. 2. ed.

Bangert. & Speners teutsch. Reichs- und Fürstenstaat,  
P. I. p. 29. not. c.

Henrici II. contra Boleslaum Polonum, cui defendendi ducis Bohemiae caussa, Milcienos & Budissinam urbem rursus ademit, atque huic nouum praesidium imposuit, vt DITMARVS <sup>(n)</sup> diserte narrat. Conficitur enim inde, fuisse ipsos pristino domino redditos, lege tamen tributariorum, hoc vero est, vt & censum Germaniae soluerent, quem ad praesidium Misnense conferrent, & praesidia contra hostes exteriores in munitis locis reciperent, quibus defenderentur. Variasse quidem illorum fortunam, vt saepius rebelles libertatem recuperarent denuoque subigerentur, nouimus: sed hoc nihil ad statum rerum sub Henrico, de quo solliciti hic sumus.

### §. VI.

Si ergo illo tempore, quo a Saxonisim imperatoribus redacti sunt in potestatem Milceni, tributarii tantum fuerunt, & dominis Bohemicis subiecti; multa erunt indicio, verissima esse, quae paullo ante ex Adamo & Helmoldo ratiocinatione quadam conclusimus. Nimirum cum illo tempore tota Bohemia sospitatoris doctrinam dudum profiteretur, quomodo fieri potuisse diceres, vt hi, vndique Christianis interiecti, soli ab illa alieni essent? Et antiquae superstitionis sectatores si adhuc fuissent, certe ab Henrico Aucupe victore nomen dare

<sup>(n)</sup> L. VI. p. m. 132. sq.

dare Christo coacti fuissent; quod tamen contra se habuisse, ex Adami Bremensis & Helmoldi locupletissimis testimoniosis illis paullo ante ostendimus. DITMARVS quoque, qui plerumque rei Christianae incrementa studiose annotauit, tam parum de Milcienis, quam de Bohemis ad cultum diuinum pertinens refert: quod sane vix facturus fuisse videtur, eo in primis loco,<sup>(o)</sup> vbi illos ab Eccardo I. ab inclita libertate seruitutis iugo constrictos tradidit, si gloria propagatae religionis tunc parta fuisset. Ita nec inepte, nec contra vetustatis fidem colligetur, incolas eius regionis, ut eadem fata, sic & religionem eandem cum Bohemis habuisse. Seruitutis vero iugum de conditione tributariorum capiendum esse, facies illorum temporum docet. Nam posteriori aevo in ciuitatem Germanicam recepti, libertatem & immunitatem a tributo recuperarunt.

## §. VII.

Non possumus ignorare opinionem plerorumque, qui sacrorum praesulum Misnensium demum opera & sollicitudine sacra Christianorum publica in his terris introducta sibi persuaserunt. Inducti sunt potissimum duobus illis de condita episcopi sede, quae circumferuntur, diplomatis, uno Ottonis I, altero

Jo-

<sup>(o)</sup> L. V. pag. 107. edit. Mader.

Joannis XIII. Sed, vt taceamus, archetypa non exstare; *ἀνισογνωσίαν* & errores in ordine temporum iam a CALLESIO <sup>(p)</sup> notatos, vnicuique in oculos incurrere, vtvt HOFFMANNVS <sup>(q)</sup> numeros corrigendo huic malo mederi est conatus; porro incertum esse, vnde illa primum depromta sint, & id genus alia: hoc nobis dari postulamus, vt diplomati diploma saltem opponamus. Editum est a Goldasto, sed emendatius a Balbino & Menckenio, quod COSMAS PRAGENSIS <sup>(r)</sup> seruauit, edictum Henrici IV. de restituendis episcopatu Pragensi antiquis finibus, in quo diserte extenditur dioecesis vsque ad medium siluam in pago Diedesi, qua Milcienorum termini occurrant. Ergo ex situ huius pagi cognoscimus, ad Crošnam vsque antiquitus cuncta episcopo Pragensi fuisse subiecta. Fuerint Ottonis I. fauore inde exempti Milcieni, & Misnensi antistiti adiudicati, prius tamen ab his, a quibus circumdati vndique erant, imbutos Christiana religione fuisse, credere quid prohibet? Imo quid omnino credere non iubet? Et licet daremus, quod dari non potest, vt ostendimus, ab Henrico demum Aucupe ad sacra Christianorum aductos fuisse: nihil inde sequeretur, vt Misnensium antistitum in eo aliquod meritum fuerit, qui ad minimum

(p) in Serie Misnensium Episcop. pag. ii. sq.

(q) in introd. ad Scriptores rerum Lusat. p. 4.

(r) ap. Mencken. Script. rerum German. T. I. p. 2058. sq.

mum triginta octo annis post instituti sunt. Ne autem serius Henrici temporibus Christianam quis religionem hisce in locis propagatam statuat, non veremur.

§. VIII.

Forte non deerunt, qui altius ascendendum & usque ad quatuordecim illos Boemanorum duces, quos A. C. IOCCCXLV. Ludovicus Pius ex corruptis cultu deorum moribus ad fidem Christo dandam traduxit, recurrentum statuant. Sed his obstat clara FULDENSIVM ANNALIVM<sup>(e)</sup> narratio, ex qua discimus, illud non in finibus Bohemiae, sed in Germania euenisse, hosque duces ad imperatorem perfugisse solos, non subiecisse ipsi gentiles suos. Praeterea hoc satis refelit grauissima CHRISTANNI auctoritas<sup>(e)</sup> qui Borzivoii sic narrat a profanis sacris defectionem, ut antehac verum Dei cultum huic genti fuisse ignotissimum, appareat.

§. IX.

Iam vero cum perpetuas Bohemos inter & Polenos de regione Milcienorum & vrbe praesertim Budis-

fina

<sup>(e)</sup> vid. Annal. Fuld. Bert. Met. Sigeb. Gembl. & Albericum ad h. a.

<sup>(e)</sup> apud Balbin. in Epitome hist. rerum Bohem. L. I. c. X.  
p. 44. sq.

C

Sina fuisse contentiones; e Ditmaro, Chronographo Saxonie aliisque perspiciamus; Bohemi etiam tam latos aquilonem versus fines habuerint, ut ipsam Cracouiam initio possiderent, quam ipsis Miseco tandem A. C. **I**CCCCXCIX., teste **COSMA PRAGENSI**, <sup>(u)</sup> eripuit, & Misnia tenus cuncta sub Lucensis prouinciae nomine, ab altera Albis ripa in ditione ac potestate eorum essent, id quod satis superque ex auctoribus fide dignis constat: nulla dubitandi relinquitur caufa, Milcienos sub Bohemis iamiam Christi sacra suscepisse, auctore potissimum Methodio, illo ad instituendas per has partes salutari disciplina Slauicas gentes, a Deo misso Ecclesiae Orientalis theologo, magnoque diuinae veritatis praecone. Ipsae quin querelae **CHRISTANNI** <sup>(v)</sup> & **COSMAE** <sup>(w)</sup> de Dragomira, Vratislai vxore, gentis Luticensis, a vero Dei cultu adhuc alienae, e prouincia Stodor, id est Stoderana in hodierna Marchia media, satis euincunt & viciniam ditionis Bohemicae & Marchiae Brandenburgicae, & religionis Christianae

iam

<sup>(u)</sup> *L. I. Chron. ad h. a. T. I. Scriptorum rer. Germ.* Menckenii, pag. 2004. Idem Cosmas *L. I. vbi de Goflinito agit*, p. 1980. add. *Balbini Miscell. hist. regni Bohem.* *L. III. c. IV. §. II. p. 27.* & *Lambert. Schafnab.* ad a. 1075. *T. I. Pistorii.*

<sup>(v)</sup> ap. *Balbin. in Epit. hist. rer. Bohem.* *L. I. c. X. p. 46.*

<sup>(w)</sup> ap. *Mencken. T. I. p. 1987.*

iam circa A. C. ICCCCXCIV. vsque ad confinia Luticorum, seu hodierorum Marchicorum propagatae ambitum. Nam quod Luticenses BALBINVS<sup>(x)</sup> Lutenses interpretari voluit, mire deceptus est nomine parum intellecto, quem & alii incautius fecuti sunt. Hodie de Luticiis & regione Stoderana meliora patent, vt longa confutatione opus non sit. Magnum his pondus praeter ea, quae iam supra<sup>(y)</sup> stabiliuimus, accedit ex silentio scriptorum, quorum nullus Milcienorum aut Budissinensium, in Lutitorum, Slauorum inter Albim & Oderam, atque Polonorum subiectione Christo facta vñquam mentionem fecit: vnde fieri alter vix potuit, ob celebritatem regionis & vrbiū, quam vt diu ante simul cum Bohemis Christiani cultus participes facti fuerint. Adde, quod in hunc diem nullae reperiri potuerunt donationes, episcopatibus Misnensi, Magdeburgensi, Hauelbergensi aut Posnaniensi ex hac regione Milcien vel Milsca factae, quae Henrico IV. essent antiquiores. Quod quomodo accidisset, nisi sub iure Bohemico eo vsque fuissent? Henricus vero IV. praesuli Misnensi terras in pago Milsca prope Gorelicium fitas assignauit; sed in ipso diplomate additur caufsa factae mutationis. Nam in comitatu Eggeberti, filii Eggeberti I. Marchionis, quod

C ij

fuisse

(x) l. c. pag. 89.

(y) §. III-VI.

fuisse isti mansi dicuntur, facile intelligitur, Eccardo II. Misniae Marchioni, quem ducem Okardum Cosmas vocat, tunc attributum hunc tractum fuisse, quum Henrico III. victori Brecislaus, Bohemorum dux se suaque subiiceret, diceretque, eodem illo teste: *Nam terra tua est camera, nosque tui sumus, & esse tui cupimus.* Huius enim Eccardi opera potissimum fregerat imperator Bohemi ferociam, multasque vrbes & loca ipsi ademerat. Patri autem Eggeberto Henricum IV. ex Marchia Misniae nonnulla quoque adiecisse, satis aliunde constat, quum Dedonem captum, multisque terris orbatum libertati restitueret, in quibus hunc Milscæ tractum fuisse, allatum diploma docet.<sup>(2)</sup> Ceterum tabularia Bohemorum si excutere liceret, de certiore forte notitia non laboraremus, siquidem Balbinus alias ob causas, harum terrarum magnam rationem habuisse non videtur.

## §. X.

<sup>(2)</sup> vid. Kreyfigs Beyträge zur Historie der Chur- und Fürstl. Sächs. Lande, T. I. pag. 4. Chronogr. Sax. ad a. CLXLI. p. m. 248. Cosmas Prag. ad an. eund. Tom. I. Script. Menckenii, pag. 2028. Conf. Habns teutsche Reichs-Historie, P. III. c. I. §. II. p. 6. Rehtmeyers Braunschw. Chron. p. 265. sq. Schmids Chron. Cygn. T. II. p. 67. Goldast. de iur. & priuilegiis regni Bohem. L. II. c. V. §. 9. sq. pag. 189. edit. Schminck. Hahn. l. c. Cap. II. §. III. p. 55. not. (i)

## §. X.

Quod si a Bohemis initia doctrinae Christianae Lusatiae superioris incolis impertita fuerunt, satis apparet, multa quoque ex disciplina ecclesiae Graecae in has terras penetrasse, ideoque puriorum principio in illis cultum viguisse. Nam pontifex Romanus non aliam stomachandi ob usum linguae Slavicae, qua Methodius uti instituerat, & ritus Graecos caussam habere potuit, ut e GOLDASTI<sup>(aa)</sup> & BALBINI<sup>(bb)</sup> documentis facile est intellectu. Quis vero non perspiciat, quam celerem progressum, qua Bohemia patebat, nouae doctrinae, ob facilitatem & commendationem linguae vernaculae dari, necessum fuerit? Hoc Balbinus quidem ubique agit, ut reuerentiam erga sedem Romanam inde a religionis exordio, hasce per gentes probet: sed firmiora longe sunt, quae STRANSKIUS<sup>(cc)</sup> doctissime persequitur, ut ostendat, semper mansisse integrioris, ut a Graecis acceptae, doctrinae reliquias. De Methodio, eiusque fatis, & Germaniae praefulum contra illum conatibus, quum fatis iam GOLDASTVS, <sup>(dd)</sup> BALBINVS, <sup>(ee)</sup> STREDOVSKI-

## C iii

vs

(aa) *de regno Bohem.* ed. Schminck. T. II. p. 245. sq.

(bb) *Miscell. hist. regni Bohem.* Dec. I. L. VI. p. 1. sq.

(cc) *Reipubl. Boiem.* c. VI.

(dd) *de iur. & priuil. regni Bohem.*

(ee) *in Epitome hist. rer. Bohem.*

vs<sup>(ff)</sup> & nuper adhuc FALKENSTEINIUS<sup>(gg)</sup> exposuerint,  
 hic plura commemoranda non ducimus. Diuinum  
 potius atque immortale Numen compreco, vt publica  
 audiat vota, quae vsque ad hoc tempus inter medios  
 fluctus ciuiles nuncupauimus. Quid religione maius,  
 quid publice salubrius? Tanto maiore sanctitate sup-  
 plico, ne quid illa capiat detrimenti, sed, qualem a  
 maioribus accepimus, caste integreque posteris trans-  
 datur, illis ope praepotente adiutis, qui vel sacra pro-  
 curant ipsis, vel rerum diuinarum procurationi con-  
 sulunt. Cumque REGIS NOSTRI  
**POTENTISSIMI, PATRIS**  
**PATRIAЕ OPTIMI** aequitate plena  
 libertate perfruamur, nihil optatus contingere Saxonibus  
 posset, quam si Princeps vere magnus, tam-  
 diu desideratus, nobis redderetur, cuius constantia, in  
 litteras munificentia caeteraeque virtutes splendidae  
 dignissimae sunt memoria posterorum sempiterna.  
 Tuere, Deus immortalis, **PRINCIPEM**  
**IVVENTVTIS SAXONICAE,**  
 Lusatiae Decus, testem calamitatis nostrae ac spem vni-  
 cam, vt Tu munitus praesidio, malis omnibus supersit,  
 ac

*(ff) in sacra Moraviae Historia, s. vita SS. Cyrilli &  
 Methodii, Solisb. 1710. in 4.*

*(gg) in Antiquitat. Marchionatus Brandenburg.*

ac GENTI REGIAE totique patriae lumen restituat. Eripe Lusatiam, imo vero omnem Saxoniam, faucibus belli calamitosissimi, ac rei publicae tranquillitatem, Musis otia, sacris incolumitatem firma, vt compositis Germaniae rebus, pax, quae nihil habeat insidiarum, cunctis nos miseriis liberatos, bonis nostris perfaci finat.

### HELIOWIDAE



ADA-

**ADAMVS BREMENSIS**

*Hist. Eccl. L. I. c. XLVIII.*

*p. 38. edit. Maderi.*

Item (Henricus I.) Bohemos & Sorabos ab aliis regibus domitos & ceteros Slauorum populos vno grandi proelio ita percussit, vt residui qui pauci remanserant, & regi tributum, & Deo Christianitatem vltro promitterent.

**HELMOLDVS**

*Chron. Slav. L. I. c. VIII. f. 4.*

*p. 24. edit. Bangerti.*

At vero Henricus rex, successor Conradi, iam tunc a puero timens Dominum, & in eius misericordia omnem ponens fiduciam, Vngaros quidem maximis proeliis vicit & triumphavit, Boëmos & Sorabos, ab aliis regibus edomitos, & ceteros Slauorum populos, vno grandi proelio ita percussit, vt ceteri, qui perpacati remanserant, & regi tributum & Deo Christianitatem vltro promitterent.



V.K. 2248



nc



B.I.G.



VIII, f. 3. A.

D E  
RELIGIONIS CHRISTIANAE  
I N I T I I S  
P E R  
L V S A T I A M S V P E R I O R E M  
D I S Q V I S I T I O H I S T O R I C A

M A N I L I V S

*Per partes ducenda fides, & singula rerum  
Sunt gradibus tradenda suis; vt cum omnia certa  
Notitia steterint, proprios revocentur ad usus.*



D R E S D A E

EX T Y P O G R A P H E O H A G E N M U L L E R I  
C I O L O C C L I X.